



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis

Marca, Pierre de

Parisiis, 1681

Capvt IX. De eodem Concilio quinto Carthaginensi, & de Donatistis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14704

cere reperiantur. Quare cùm ex legibus Constantini relatis in Codice & à Sozom. *Sozom. lib. I. c. 9.* meno commemoratis manumissi in Ecclesia libertatem Romanam adipiscerentur, non erat quòd in dubium adduceretur in reliquis occidentis Ecclesiis quod Africani in posterum facere debebant. Nonum quoque & ultimum caput omittitur, quia pertinet ad speciale negotium Equitii Episcopi jam olim damnati & ad transmarinas partes profecti ut turbaret Africanæ Ecclesiæ statum, cujus impudentiam repellendam à Legato decernitur.

CAPVT IX.

*De eodem Concilio quinto Carthagenensi,
& de Donatistis.*

I. **E**ODEM anno cccci. Vincentio & Flavito Coss. Idibus Septembris habitum est Concilium Carthagine ex omnibus provinciis Africæ, quod sanè aliud est à priore. Attamen cùm eodem anno celebratum fuerit, sub unius Concilii quinti nomine exhibetur in collectione veteri. Quod accuratiùs & rectiùs distinguitur apud Dionysium, & ab ipso quoque Ferrando.

II. Donatistarum machinationes, & in-

fidiaë quibus Ecclesiam Africanam vexabant, Anastasii Episcopi Romani pectus adeo commoverant ut literis ad Episcopos Africaë datis eos hortaretur ne de hæreticorum insidiis & improbitatibus dissimularent, ut capitulo primo hujus Concilii docemur. Carthaginensis ergo synodus de Donatistarum causa tractans, cum eis lenius agendum censuit, & plebes eorum communionem infectas miserabilis illius erroris commendas quo sunt devinctæ. Tum ut à iudicibus petatur ut auctoritate sua juvent communem matrem Ecclesiam catholicam, judiciaria potestate inquirentes quid gestum sit in iis locis in quibus Maximianistæ, qui à Donatistis schisma fecere, basilicas obtinuerunt. Magni momenti hæc perquisitio videbatur futura, quoniam Maximianus Episcopus Carthaginensis ex parte Donati, cum à Primiano ejusdem partis Episcopo schismate divisus esset & anathemate ab adversariis ictus, pari eos damnatione excepisset, (ut copiosè docet Augustinus lib. III. contra Cresconium cap. XL. lib. IV. cap. VI. & in enarratione psalmi xxxvi.) istius Maximiani sectatores, ut schismatici, Donatistis petentibus à basilicis quas tenebant per jussa iudicum deturbati erant, ut scribit

Augustinus libro III. contra literas Petilianas cap. XXXIX. maximè cum illa tempestate Maximianistæ recepti fuissent à ceteris Donatistis in communionem absque baptismi repetitione. Quo exemplo convinci poterant tum ab initio Donatistas tam iniquè ab Ecclesiæ unitate discessisse temporibus Cæciliani quàm iniquè nunc clamabant Maximianistas à se schisma fecisse, tum stolidè pacem Ecclesiæ toto orbe diffusæ atque illius communionem baptismumque respicere, qui suos olim sui Concilii plenarij auctoritate damnatos in communionem cum suis honoribus recipiant. quo argumento quoque utitur Augustinus epistola quinquagesima & libro de hæresibus. Ut autem faciliùs Donatistæ ad Ecclesiam accedendi studio accenderentur, suomet exemplo alliciendos putavit hæc synodus. Itaque sicut ipsi Maximianistas susceperant in clero cum suis honoribus, ita resipiscentes Donatistas & ad catholicæ Ecclesiæ communionem redeuntes in suis gradibus recipiendos decernunt. Attamen quoniam Capuano Concilio vetitum fuerat ne clerici Donatistæ resipiscentes in suis honoribus susciperentur, ea fuit hujus synodi pro transmarini Concilii decretis reverentia ut quam prohi-

bitioni generali exceptionem adhibendam putabat, nempe ut ii soli recipiantur per quos unitati catholicæ consulitur, iudicio sedis apostolicæ committat; ad quam *maximè*, ut ait, & ad reliquos Episcopos transmarinos scribendum decernit. Vnde patet sedis apostolicæ auctoritas præcipua in canonibus temperandis, ab ipsis Africanis & ab orientalibus quæ jam olim agnita, ut uberius docuilibro tertio de concordia cap. XIII.

III. Quæ dixi, quatuor Concilii huius capitibus comprehensa, cum ad negotia specialia Africæ pertineant, in veteri collectione dissimulata sunt. Sed omisum non est iteratum interdictum canone quinto Concilii comprehensum, & in tertium Concilii quinti conjectum, quo Episcopi, Presbyteri, & Levitæ ab uxoribus continere jubentur *secundùm priora statuta*, id est, juxta priorum canonum Carthaginensium decreta, de quibus superius egimus. Græcus interpret, depravatam lectionem secutus, reddidit ac si scriptum esset *secundùm propria statuta*, & *ἰδίους ὄρους*. Quæ versio tolerari posset nisi eam interpretatione sua corrupissent Zonaras & Balsamo, qui ambiguum vocis *ὄρος*, quæ legem & statutum æquè significat ac limitem sive etiam temporis

terminum, ad suos orientalium mores confirmandos transferentes, hunc canonem sic explicant ac si decerneret ut tempore vicis suæ, Iudæorum exemplo, quisque sacerdotum contineat, rediturus post ministerii & ἐπιμελείας functionem illam temporariam ad uxoris commercium, quod hebdomadariis Presbyteris, quos instituere Græci, competere posset. Sed quid fiet de Episcopis, qui Presbyteris & Levitis hoc canone junguntur, à quibus tamen Græci ipsi continentiam perpetuam ab uxoribus exigunt, & ex illo capite singularitas eorum in quaque Ecclesia vetat ne per vices fungi possint munere suo. Quare cùm clausula isthæc, *ἡ δὲ ἰσὺς ὀφείτω*, ex interpretatione Græca, eos æquè comprehendat ac Sacerdotes & Levitas, alia est adhibenda explicatio quàm ea quæ recentioribus Græcis placuit, nempe ut propriis & gradibus suis aptis continentia legibus astringantur. Quamquam alia lectio & verior est atque sincerior, omnemque difficultatem adimit, scilicet *secundùm priora statuta*, id est, juxta id quod in prioribus Conciliis constitutum est. Ferrandus videtur hunc canonem laudare ex isto Concilio num. VI. *Vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ab uxoribus abstineant. Concil. Carth. tit. III.*

IV. Sequitur in veteri collectione canon quartus de rebus Ecclesiæ sine consilio Primatis non alienandis : qui sine dubio ad hoc Concilium habitum Vincentio & Flavito Conf. pertinet , non solum juxta fidem antiqui collectoris , sed etiam juxta Ferrandum , qui notat num. XLVII. *Vt Episcopi rem Ecclesiæ sine Primatis Concilio non vendant. Concil. Carthagin. tit. v. Hippon. tit. IX.* Dionysius verò hic canonem istum omisit , quoniam à Concilio sexto can. XXVI. firmatus cum fuisset , ejus Concilii canones in capite Africanorum collocanti inutile videbatur hunc suo loco reddere. Sed vetus , qui Carthaginensis sexti canones omisit ex prioribus compactos , retinuit hunc canonem suo loco. Grave est hoc interdictum de rerum ecclesiasticarum alienatione absque synodo Primatis sive Metropolitanis. Libera quondam Episcopis singulis , saltem cum presbyterii consilio , rerum ecclesiasticarum alienatio ; sed non vice versa Presbyteris vacante Ecclesia , cum rescindendum iusserit hoc casu contractum synodus Ancyrana canone XIII. Hanc potestatem Ecclesiarum damnis cavens Concilium Carthaginense , & deinde Hipponense secundum , optimè restrinxit , & Primatis synodique provincialis decreto negotium commisit,

commisit, exceptione solùm addita, nisi tam gravis premeret necessitas ut Primatem adeundi non superesset spatium. Sed tunc quoque venditor vicinis Episcopis antea indicare, & post factum, Concilio provinciali referre debet Ecclesiæ suæ necessitates. Hæc est enim sententia canonis; cuius lectio luxata, sic constituenda est in veteri: *saltem curiositatem habeat* (id est, curam, Africana dictione) & *vicinis Episcopis hoc antè indicare, & post factum, ad Concilium referre suæ Ecclesiæ necessitates. Quòd si non fecerit, reus Concilio venditor teneatur.* Hunc locum canon sexti Concilii interpretatus est potiùs quàm exscripsit: *saltem vicinos testes convocet Episcopos, curans ad Concilium omnes referre Ecclesiæ suæ necessitates. Quòd si non fecerit, reus Deo & Concilio venditor honore amisso teneatur.* Priorem partem Græcus non est affecutus. Legit enim, *vicinos testes convocet Episcopus, cum legendum sit Episcopos.*

V. Hunc canonem excipit alius in veteri collectione, quo definitur ne quis, relicta cathedra principali, in alia diœceseos Ecclesia aut in proprio fundo diuitiùs quàm oportet resideat. Quod his verbis Ferrandus expressit num. xvii. *Vt nullus Episcopus, dimissa matrice, in diœcesi constituat.* (legendum consistat) Concil. Car-

thagin. tit. vi. Vbi cathedra principalis rectè matrix redditur. Vnde matrices cathedræ in Concilii Carthaginensis cap. *CXXIII.* apud Dionysium.

VI. Canon de infantibus baptizandis quoties non inveniuntur certissimi testes de illorum baptismo, nec ipsi idonei sunt propter ætatem de traditis sibi sacramentis respondere, à Leone primo probatus est, qui ejus in simili specie sententiam sequitur in epistola ad Rusticum Narbonensem. Sed mutilus est canon ille apud Dionysium; ubi omissa est ultima clausula, quam exhibet vetus, de consecrandis Ecclesiis quoties de earum consecratione dubitatur. Obiter autem monendus est lector magnum oriri beneficium ex tabulis parochialibus in quas baptismorum acta referuntur, unde non solum infantium ætas ad res civiles, sed etiam baptismi testatio probari potest: quibus tabulis si usa fuisset vetus Ecclesia, ut liberorum censitione in actis publicis olim utebatur Imperium, difficultatibus istis de baptismo infantium se exemisset.

VII. Cautum fuerat in Concilio Carthaginensi tertio canone *XL I.* ut quotannis ad Concilium universale Africae convenirent Episcopi, & per legatos redeuntes in provincias dies Paschæ ab Ecclesia

Carthaginensi denuntiaretur. Nunc duo
constituuntur. Primum, ut formatarum
subscriptione dies ille omnibus intime-
tur, id est, ut in formatis quæ clericis
peregrè proficiscentibus dantur, dies Pas-
chæ adnotetur; quòd si adhuc incertus
est dies anni illius, præcedens adjunga-
tur quo modo solet *Post consulatum* in pu-
blicis gestis ascribi, ut explicuit canon
vigésimus synodi Milevitanæ in veteri
collectione, qui est centésimus sextus in
codice canonum Africanorum ex Conci-
lio Carthaginensi anni quadringentesimi
septimi. Secundum est, ut tempus fixum
& certum Concilii in decima die Kalen-
darum Septembrium constituatur. Quæ
dies Africanis conventibus apta esse po-
terat propter anni tempestatem à provin-
ciis Europæ diversam. *Dies verò Concilii
idem servetur qui in Hipponensi Concilio con-
stitutus est, id est, x. Kalendas Septembris.*
Vetus autem collector tempus illud im-
mutavit auctoritate sibi delegata, ut alibi
dixi. *Dies Concilii, inquit, undecimo Kalendas
Novembris servetur*, scilicet post exactas
ferias vindemiales, omissa mentione Con-
cilii Hipponensis, in quo scilicet dies de-
cima Kalendarum Septembrium consti-
tuebatur; à quo cum recederet, non erat
quòd illud Hipponense Concilium lau-

daret. Ceterum observare non pœnitet hic agi de generali & universali totius Africæ, de quo etiam canone decimo, non autem de provincialibus synodis, quæ à Primatibus sive Metropolitanis cogebantur: de quibus hic cavetur ut Primates, quando Concilium apud se congregant, diem hic præstitutum universali Concilio non impediunt. Ad istud exemplum decretum est de patriarchica synodo in canone xvii. octavæ synodi.

VIII. Canonem de intercessore dato Ecclesiæ Ferrandus ex titulo nono Concilii Carthaginensis laudat, id est, ex Concilio habito Vincentio & Flavito Consulibus, cui numerus ille respondet. Vacantibus Ecclesiis præficiébatur à Metropolitano Episcopus ad dissidia populi componenda, ne per varia studia in eligendo Episcopo in apertam seditionem erumperent. Dicitur fuit intercessor quia dissidentibus intercedebat, medium se præbebat & conciliatorem. Vnde *μεσίτης* dicitur ab interprete Græco. A Ferrando dicitur interventor num. xxii. *Vt nullus Episcopus cathedram cui datus fuerit interventor plusquam annum teneat, sed ipse eis Episcopum petat.* Concil. Carthagin. tit. ix. Dionysius quoque in lemmate canonis interventorem appellat. Sequenti seculo dicitur est visi-

rator à Gregorio Magno. Visitatoris usum & nomen retinere posteris, ut patet ex Hincmari epistolis à Sirmondo editis; qui ex more tunc recepto non antè visitatorem Episcopum Ecclesiæ vacanti præficiabat quàm Regem consulisset, ut ex ejus arbitrio persona visitatoris penderet, nempe ut cleri & populi animos ad electionem Regi gratam inflecteret.

IX. Capita duo apud Dionysium, quorum alterum agit de conveniendo Cresconio Villaregiensi ut se sistat proximo universali Concilio Africano, & alterum de ordinando Episcopo in Ecclesia Hipponensium Diarrhytorum, omissa sunt à veteri, quia sunt specialia Africæ negotia.

X. Canon autem undecimus, quo statuitur ne Presbyteris aut Diaconis ob graviolem culpam à gradu remotis manus pœnitentiæ imponatur tamquam laicis, hic est suo loco positus in collectione veteri; quem Dionysius inter capita Carthaginensis sexti jam semel à se positum hic repetere noluit. Ratio verò hujus statuti petenta est ex Basilio cap. xxxii. qui ait duplici pœna affligendum non esse Presbyterum & Diaconum, tum depositione, tum laboribus pœnitentiæ publicæ.

XI. Undecimi canonis definitioni rectè conjungitur canon duodecimus, quo accusatis clericis annus conceditur ad diluendum crimen sibi impositum. Quoniam verò textus corruptus est tam in collectione veteri quàm in Dionysiana, emendandus à nobis erit postquam vulgatam lectionem proposuero. *Quoties, inquit, clericis convictis & confessis in aliquo crimine, vel propter eorum quorum verecundia parcitur, vel propter Ecclesie opprobrium, aut insolentem insultationem hæreticorum atque gentilium, si forte cause sue adesse voluerint & innocentiam suam asserere, intra annum excommunicationis sue hoc faciant &c.* Quænam amabo consequentia est in his verbis, ut convictus & confessus innocentiam deinde suam asserat? Convictus & confessus pro judicato habetur juxta legum præscripta; est *ἀποκατακρίτος*, ut loquitur Paulus. Presbytero de se confessio non parcitur, ex canone nono Concilii Neocæsariensis: quia (ut inquit Valentina synodus habita anno c c c l x x i v.) *reus est vel veri confessione vel mendacio falsitatis.* Quare sine dubio legendum est; *Quoties clericis convictis nec confessis in aliquo crimine vel propter eorum verecundiam parcitur, vel propter Ecclesie opprobrium.* Mutandum enim illud, *quorum verecundia parcitur*, ne alioqui suspensa

fit oratio, & ne verbum desit à quo nomina dativi casus, *clericis convictis*, regantur. Attamen vetus est mendum, ab ipso etiam interprete Græco expressum, ne dicam ab Ivone & Gratiano XI. q. III.

Rursus constitutum. ubi ancipites sunt glossatorum de mente canonis istius opiniones. Sententia itaque canonis hæc est quam exhibet Ferrandus num. CXXXVI.

Vt accusatus clericus intra annum causam suam agere debeat. Concil. Carthag. tit. XIII. Ordo antiquus judiciorum ecclesiasticorum hinc desumi potest. Testes recipiebantur adversus reum gravioris criminis. Eorum testimonio convictus, communione abstinabatur: qui deinde vel se purgabat, vel confessione criminis facta, pœnitentiæ beneficium petebat absque ulla temporis præscriptione. Hic anni tempus post excommunicationem illi inflictam computandum clerico conceditur, ut se purget. quo tempore elapso, non amplius auditur. Inde factum ut decretis recentioribus laici quoque excommunicati ad purgationem vel ad petendam absolutionem adigantur.

XII. In canone XIII. de alieno monacho non ordinando vox *repertum*, quam vetus & Dionysius præferunt, & ex eis Gratianus, cubat in mendo, & restituenda

Vide Balsamon. in can. 82. synodi Carthag.

Dist. 56. Si quis de alterius.

lectio ex interprete Græco: *Si quis de alienius monasterio receptum. ἐάν τις ἀπὸ ἀλλοτρίου μοναστηρίου ὑποδέξῃται τινα.*

XIII. Titulus xv i. apud Dionysium abest à veteri, rectè, quoniam huic speciei satis cautum erat duobus capitulis Concilii Carthaginensis tertii. Etenim canone x i i i. constitutum est ut Episcopi & clerici hæreticis, etiam si consanguinei sint, nihil per donationem aut testamentum conferant. Canone autem x l i x. Episcopi & clerici quod ex peculio Ecclesiæ acquisierint, jubentur suis Ecclesiis conferre. De eo autem quod illis ex liberalitate alicujus vel ex successione cognationis obvenit, libera disponendi facultas relinquitur; dummodo ita se gerant ut eorum proposito congruit. Alioqui honore ecclesiastico indigni judicabuntur. Quam in pœnam incidissent sine dubio si hæreticis vel gentilibus consanguineis aliquid contulissent, quia id vetitum canone decimo tertio. ne de personis infamibus loquar. Ceterùm si extraneos heredes instituissent, dummodo Christianos, immunes erant à culpa. Canon autem x v i. hujus Concilii tacens de clericis, vetat ne heredes extraneos à consanguinitate sua Episcopus Ecclesiæ præferat, nedum consanguineos hæreticos aut paganos; addita

gravissima pœna, nempe anathematis post mortem. de qua tantopere disceptatum fuit in Quinta synodo. Additur quoque, quod huic pœnæ est consecrarium, ne nomen ejus inter Dei sacerdotes recitetur; scilicet in sacrificio, quando ex dyptichis sive libellis Ecclesiæ cujusque nomina defunctorum Episcoporum recitata, Deo commendabantur, ut patet ex actis Quintæ synodi. Vnde discimus hanc quoque consuetudinem in Ecclesia Africana perinde ac in ceteris universi orbis Christiani invaluisse.

XIV. Canones reliqui hujus Concilii quinti cum Dionysio conveniunt, adeo ut operam nostram non desiderent, præcipuè cum Notas in universos canones non edamus.

C A P V T X.

De Concilio Carthagenensi sexto.

I. **O**RDO veteris collectionis nos ducit ad Concilium Carthagenense sextum: quod aliud est apud Isidorum, aliud apud veterem collectorem. In illo quippe perturbata Conciliorum serie octavum seu Milevitanum dicitur; quod in collectione antiqua rectissimè sextum nuncupatur, depulsis ex eo gradu